



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 73. Hieronymi Osorii obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Præposituram sancti Abundii Cremonensis obtinuit: denique eidem, cum concinnando librorum prohibitorum catalogo insudaret, Romæ mors calamum excussit feria secunda die decima octava Januarii Cathedræ Divi Petri sacra, postquam sexaginta octo annos, tres menses, & quindecim dies vixerat, sepultusque fuit in Ecclesia sanctæ Sabinae, quam pluribus piis Legatis auxerat.

Sæcul. XVI,
A.C. 1580.

§. LXXII.

Hieronimi Oforii obitus.

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno decesserunt, primo loco recensendus venit Hieronymus Oforius Ulyssipone in Lusitania ex Joanne Oforio de Fonseca, & Francisca de Govea natus. Hic Salmanticæ percurso studiorum curriculum nonnisi decimum nonum ætatis suæ annum egressus Parisiis Philosophiæ operam dabat, inde vero Bononiam contendens linquarum, sacrarumque literarum peritia inclarescebat, tantaque facilitate, atque elegantia perorabat, ut Lusitaniæ Cicero passim nuncuparetur: postea vero sacræ militiæ adscriptus, atque in patriam reversus a Joanne III. tum Lusitanorum Rege sacras Paginas in Universitate Conimbricensi interpretari jubebatur, quo etiam munere cum tam amplo fungebatur progressu, ut eidem

Andr. Scotus & Nic. Ant. Bibl. Script. Hisp. Ofor. in vita Hier. Oforii. Dupin. Bibl. des Aut Eccl. Siecle XVI. p. 4. p. 418.

Sæcul. XVI.
 A C 1580

dem Taveranæ Ecclesiæ administratio committeretur; demum autem cum Sebastianus vivis ereptus, atque Henricus Cardinalis ad Lusitanæ solium effectus esset, ab hoc Eboræ Archidiaconus, ac postea Sylvæ in Algarbia Episcopus nominabatur, qua dignitate affectus cunctis exemplo præluxit, pauperesque tenero affectu fovens, eisdem largas eleemosynas erogavit, aliisque pietatis operibus plurimum sese commendandum reddidit; verum calamitates, quæ post Henrici Cardinalis obitum ex Hispanorum invasione patriam ejus depopulabantur, tam intimo sensu ejus animum commoverant, ut morbo correptus die trigesima Augusti hoc anno millesimo quingentesimo octogesimo, atque ætatis suæ septuagesimo quarto Taviræ in sua Diœcesi animam Deo redderet. Hujus Viri vitam Hieronymus Osorius ejusdem Nepos Eburanus Canonicus descripserat: ipse vero hic Præsul ex eorum numero erat, qui Philippum II. tanquam Lusitanæ Regem esse agnoscendum censebant. Ceterum plura ingenii sui monumenta Romæ in quatuor tomis anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo excusa posteris reliquit, quæ plures tractatus morales, commentarios, & Paraphrases in

in diversos sacri Codicis libros comple-
ctuntur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1580.

§. LXXIII.

Petri Emottæ mors.

Alter erat Petrus Emotta Augustodu-
nensis, qui Parisiis in Collegio Na-
varrico studiis vacans, ac literarii ho-
noris gradus emensus in eodem Colle-
gio anno salutis nostræ millesimo quin-
gentesimo septuagesimo secundo Docto-
ris laurea decorabatur, & postea Lau-
denfis Ecclesiæ Theologus anno post
Christum natum millesimo quingentesi-
mo septuagesimo octavo præfatæ Eccle-
siæ, ac Capituli Decanus creabatur:
cum vero ad annuntiandum Dei Ver-
bum sese satis idoneum cerneret, inge-
nium suum magis excultum reddere fa-
tagebat, quamvis juxta infulsam illius
ævi Prædicatorum consuetudinem, sine
selectu, ac rationum soliditate sermo-
nes suos elucubraret, qui tamen post
ejus obitum, qui die prima Augusti hoc
anno contigit, typis evulgabantur. In
ejus concionibus continentur Gallico
idiomate adhortationes Catholicæ in
Evangelia pro diebus festis, ac do-
minicis, necnon instructiones circa Sa-
cramenta, quæ omnia tribus tomis com-
prehenduntur: præcipuum vero illius
opus est tractatus latinus, cui titulus:
Con-

Dupin. l. 6.

p. 423.